

quo ad existendum subiecto non indiget, ideoque substantia est. Etenim si id quod in nobis cogitat dicatur indigere aliquo subiecto, hoc ipsum subiectum dicemus id quod cogitat. Ergo anima est substantia.

Prob. 2 pars 1. Principium operationum, quæ ad materiam pertinere non possunt, est substantia prorsus distincta a materia, ac proinde spiritualis; atqui mens humana est principium operationum, quæ non possunt ad materiam pertinere, nempe cogitationum, quarum quisque sibi conscius est; ergo mens humana est substantia spiritualis. Prob. min. Si cogitatio pertineret ad materiam, esset intrinseca materiæ *modificatio*; cum enim cogitatio sit subiecti cogitantis actio interna, per quam res cogitans alio modo se habet ad seipsam, intrinseca est subiecti cogitantis modificatio; atqui cogitatio non potest esse intrinseca materiæ modificatio; si enim esset intrinseca materiæ modificatio; esset ipsa materia *modificata*; atqui cogitatio non est, nec potest esse materia modificata; nam si ita esset, cogitatio haberet proprietates materiæ, esset proinde extensa, divisibilis in partes & figurata; atqui absurdum est dicere cogitationem esse extensam; divisibilem, & figuratam. Etenim vero quis possit a se obtinere ut credat, intellectus actum, V. G. assensum vel dissensum esse certo loci spatio diffusum, posse scindi in duas, quatuorve partes, & habere figuram rotundam aut quadratam aut triangularem? ergo cogitatio non potest esse materiæ modificatio, ac proinde mens humana est principium